



## **Forum Ecclesiasticum**

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

**Leuren, Peter**

**Moguntiae, 1719**

Quæst. 573. Quis sit effectus donationis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)

## CAPUT II.

## De effectu &amp; revocatione donationis.

Quæst. 573. Quis sit effectus donationis.

**R** Esp. Primo donatio simplex verbalis, necdum aequali traditione rei donatæ confirmata, quamprimum facta & à donatario acceptata producit in donante obligationem rem donatam præstandi, ut constat ex claro textu. §. 1. *Instit. h. t.* quam tamen donatarius propria auctoritate occupare non potest. parit siquidem talis donatio ortaque ex ea obligatio in donatario solum actionem contra donatorem ad tradendam rem verbaliter donatam, non tamen ex se sola, sed assistentiâ legis, nimirum. *L. si quis argentum. c. h. t.* ubi ea actio illi conceditur, unde & dicitur conditio ex lege; quia hæc lex nullum aliud certum genus actionis expressit. ita tamen, ut lex illa sit causa illius efficiens remota; unde & est actio civilis; & proxima sit conventio seu pactum legitimum donatorem inter & donatarium, ratione cuius est personalis, sicut & omnes conditiones sunt personales. Lauterb. *b. t. §. 34. juncto §. 35.* Estque hæc actio stricti juris. *L. 22. ff. h. t. & perpetua, & 30. annis præscribitur, transitque post mortem donatarii ad ejus hæredes; cum donatarius simplex præmoriens jus quæsitum ad suos hæredes transmittat adversus donatorem & ejus hæredes.* Lauterb. §. 35. *juncto §. 36. & 37. in fine.* Objectum hujus actionis est res donata præstanda; & quidem deductis seu reservatis alimentis donatori, ut deducto ære alieno, nimirum quod donator ex causa onerosa debet; cum donator, etiam condemnatus, non nisi in quantum facere potest, teneatur. Lauterb. §. 37. *juncto §. 39. juxta L. 41. §. 2. ff. de re jud. & expressum textum. L. 33. ff. h. t. ubi; actione, nimirum hac, non in solidum, sed quantum facere potest, convenitur. & l. 12. ff. eod. ubi; qui ex donatione se obligavit, in quantum facere potest, convenitur; sed enim, quod creditoribus debetur, erit detrahendum. Sed neque hæc actio se extendit ad fructus interea, quod donator est in mora rem donatam tradendi, perceptos. L. 11. ff. h. t. l. 9. §. 1. ff. eod. ubi; ex rebus donatis fructus percepti in rationem donationis non computantur, ex ea etiam ratione; quod ante traditionem donatarius non est dominus rei donatæ; res autem domino suo fructificant. Lauterb. §. 37. qui tamen id limitat hoc modo: nisi nondum consumpti sint. Neque se extendit ad usuras ob dilationem traditionis exigendas. Lauterb. *l. c. juxta l. 22. ff. h. t. ubi; eum, qui donationis causâ pecuniam vel aliud quid promisit, de mora solutionis pecuniæ usuras non debere summæ æquitatis est &c. idque, ne donatori sua liberalitas nimis damnosa sit; & quia donatio est stricti juris conventio. Quod si verò res donata post promissionem seu donationem verbalem illius à donante alienata est, reservatur tamen donatario dicta actio personalis contra donatorem ad æstimationem illius consequendam. Lauterb. §. 41. cum Bachov. ad vvesenb. h. t. n. 7. Paritur quoque ex donatione vindicatio rei, si donatario tradita sint rei donatæ ea instrumenta, quæ jus in ea re competens denotant, per *l. 1. c. h. t. Brunem, ibid. Hahn ad Novell. 162. c. 1. v. interdum rei vindicatio. Lauterb. §. 34. Porro***

quod dictum de donatione simplice, etiam locum habet in donatione, quæ fit sub modo, quâ quid donatur, ut rursum quid fiat. v. g. ut præstentur alimenta, donatarius ad id præstandum. v. g. alimenta obligatur, & adigitur actione præscriptis verbis. *l. 9. ff. h. t. vel conditio ex lege. l. 35. §. fin. c. h. t. Lauterb. l. c. & modo illo non impleto donans ejusve hæres res donatas vindicat. L. 2. & 3. c. de condict. ob caus. Re autem sic donata, ut post decem annos alteri restituatur, elapso hoc tempore, huic tertio competit eadem actio personalis contra donatarium ejusve hæredes. *l. 3. c. de donat. qua sub modo. Lauterb. l. c. citans Fachin. l. 8. contrav. c. 88.**

2. Resp. Secundò effectus donationis perfectæ, seu per traditionem consummatæ est, ut vi illius dominium rei transeat in donatarium. *l. 1. 25. 33. ff. h. t. & si donator illius non erit dominus, conditio ulucapiendi & titulus pro donato, nisi fortè vitium ex alia causa subfuerit. l. 2. 3. 6. ff. pro donato. Lauterb. §. 29. juncto §. 28. dum interim simplex donatio erat tantum causa vel titulus rem ejusque dominium mediante traditione acquirendi. Unde si res duobus donata, & posteriori simul tradita, hic posterior est in dominio. *l. 2. c. de R. V. nullo contra hunc priori donatario competente remedio, non reali; quia per solam conventionem jus in re consecutus non est, non personali; quia cum secundo donatario non contraxit. Sed solum competente ei actione contra donatorem. ita Lauterb. cit. §. 28. Non tamen ex ea donatione oritur donatario, etiam omnium bonorum, obligatio solvendi creditoribus donatoris; quia per hoc non evadit hæres, aut constituitur loco illius, sed manet & est successor singularis. *L. 2. c. de par. hered. ac proinde à donatoris existentis non solvendo creditoribus conveniri nequit. L. 15. c. h. t. & l. fin. c. de hered. abt. Lauterb. §. 40. citatis F. br. in cod. l. 8. tit. 34. def. 4. & Mevio. p. 5. decis. 271. à n. 2. qui dicat hanc sententiam verissimam secundum rationem juris; licet alii apud eundem Lauterb. admittant, hodièdum ex æquitate etiam directè adversus donatorum intentari posse actionem, donatore non existente solvendo. ut ea aliàs absolute contra eum intentari potest, & is conveniri in casu hypothecæ jam constitutæ in rebus postea donatis; uti & à creditoribus tantum chirographicis, si in eorum fraudem facta donatio. *L. 6. §. 11. L. 10. 17. ff. quo in fraudem creditor. Carpz. L. 5. resp. 63. n. 13. Mev. l. c. decis. 272. à n. 4. Lauterb. §. 40. intenta tamen prius, ut hic cum Carpz. *7. F. p. 2. c. 12. def. 28. actione revocatoria. plures similes exceptiones vide apud Lauterb. l. c.*****

Quæst. 574. An & qualiter revocari possit donatio.

**R** Esp. Donatio inter vivos legitime & absolute facta (intellige, non tantum traditione consummata, sed & perfecta nudo pacto seu consensu, etiam nulla stipulatione interveniente vel traditione secuta, ut expressè de Lugo. *d. 23. num. 167. Pirh. h. t. num. 32.* de utraque enim accipiendæ leges; etsi quidam AA. ut Lauterb. §. 41. meminerint solum donationis traditione consummatæ) regulariter revocari nequit; neque, penitentiâ donatoris juxta expressum textum. *L. fin. c. de revocat.*